



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCXCVI. Exul tace.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

CCXCVI.

Exul tace.

EXULEM INTRA FINES DEPREHENSUM LICEAT OCCIDERE. Imprudentis cædis damnatus ex lege in exilium quinquennium missus est. Intra fines a fratre ad cœnam vocatus, cum parasito fratris litem, fratre jam dormiente, confertur: & à parasito clamante, Exul tace, ex lege interfectus est: quo comperto parasitum abjecit adoleicens: à patre abdicatur.

DECLAMATIO.

Objicimus adolescenti ante omnia, quod parasitum habuerit. Abdicationi hoc satis erat, ut si quid pater nollet, nunquam emendet. Quare nihil est quod dicas mihi, Nunquam istud objecisti. Quid enim hoc colligis aliud, quam ut te abdicet indulgens pater? quid enim est parasitus, nisi comes vitiorum? turpissimi cujusque facti laudator? Unum tamen videbatur esse solatium, quod ejusmodi vita, ad homicidium usque non perveniret. Objicio tibi, quod fratrem intra fines invitasti: fuerit quantalibet causa convivii, melius ea certe ipse ad fratrem isses. Manet hoc ipsum inter causas abdicationis: objici tibi potest, quod tam impius es: quod fratrem post illam miseram fortunam non videris, nisi ad te descendentem.

Nam

1 *In exilium quinquennium missus est.* Sic veteres loquebantur, *Usus auctoritas fundi biennium esto*, ut non sit meo iudicio, cur nonnulli hoc genus dicendi, tam insolens atque etiam ineptum existiment. Nam certum est pleraque huiusmodi scripta fuisse in 12. tabulis, quæ jam Ciceronis temporibus non capiebantur: atque item alia, quæ in aliam dicendi rationem abierant, quibus tamen tum utimur, quasi legum vocibus utentes majestatis & vetustatis cuiusdam gratia, cum in legum mentionem incidimus. Magis igitur hoc priscum, quam ineptum dici oportuit. quanquam nec congruitatis ratione caret: regit enim auctoritas duos gignendi casus,

quorum alter ab altero regitur. Boëtius, Ita nanque ait, ut quoniam usus auctoritas fundi biennium est: sit etiam ædium. Hic ædium usus auctoritatem dixit eo modo, quo fundi usus auctoritatem. Quin etiam existimo, veteres conjuncto verbo pronuntiasse, *usus auctoritas*: sicut *usucapio*, *pignoris capio*, *capitiminutio* huius exilii meminit Ulpian. l. 4. ff. de sicariis. *Erod.*

2 *Quod parasitum habuerit.* Plutarch. *ὡς τὴν παιδῶν ἀγωγῆς. οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν ἠόλακας καὶ ὠρῶσιτες ἀναλαμβάνουσιν ἀνθρώπους ἀσημέτους καὶ ἡγερέτους, καὶ τὴν νεότητι ἀναλεργίας καὶ λυμεῶνας.* *Erod.*

Nam illi ignosci potest, vel ¹ cum periculo venienti: nihil tibi vero quis ignoscat, qui cum sine periculo ad illum ire posses, in id discrimen adduxeris fratrem tuum, ut eum etiam parasitus possit occidere. Objicio tibi, quod adhibueris cœnæ tertium. Si hoc factum pietatis est, opus est secreto: objicio quod parasitum potissimum adhibueris: hoc enim vacabat misero, hoc exuli: ² cœnabat cum parasito. Cætera jam intelligo non pertinere ad abdicationem: altiora sunt crimina & suis legibus digna, non tamen debent ideo lucri fieri, quod in patrem inciderunt. Objiciunt tibi occidendi fratris consilium. Si accusator essem, si te in culleum peterem, illa dixissem: Persona crimini idonea est: habes parasitum, & causa occidendi manifesta est, cohæres es fratris, occasio adjuvit consilium, intra fines occidi potest. minister non defuit, parasitus in tua potestate est. Cætera vero cui non etiam manifesta sint? parasitus sine tua voluntate convitari fratri tuo auderet? homo in adulationem natus, homo cujus famem tantum tu propitius differebas, non fecisset utique quo te putaret offendi. Dormis: hoc tibi in præsentia credatur? Non putabat tibi posse nuntiari? & tamen incredibile est te dormisse hoc tempore, hoc loco convivium erat, & quale convivium? frater invitatus, ita ille convitari ausus fuisset, si te amantem fratris vidisset? Credo parasitum etiam insultasse fortunæ filii mei. Tace, dixit, exul parasitus: homo, puto, qui contumeliam non ferebat, Tace, exul. Parum enim eum graviter torquebat ³ sola fortuna, parum enim graviter irascebatur errori, nisi etiam parasitus objecisset: non fecisset hoc ergo te invito. Puta tamen cade-

re hanc

¹ Cum periculo venienti: nihil tibi vero quis ignoscat.] Sic Pithœus. Thaddæus, mihi tibi vero. Ærodius, nunc tibi vero. Quin tu omnes illas nugas extirpa, & mecum lege: Nam illi ignosci potest vel cum periculo venienti: tibi vero quis ignoscat, &c. cum interrogationis nota. Gronovius.

² Cœnabat cum parasito.] Scribe: Hoc enim vacabat misero, hoc exuli, cœnare cum parasito. Vel, ut cœnaret cum parasito, ut & Ærodius. Gronovius.

³ Sola fortuna.] Quia imprudens fuerat homicidium, ἡ μὴ ἐν ἀερόλου. quod etiam postea, errorem appellat. Ærodius.

re hanc in animum parafiti indignationem : illud certe in casum non cadit , quod gladius in triclinio fuerit. Multa quæ singula accidere possunt, ¹ universa extra causam sunt, ut conviciari incipiat, cujus occidendi jus habuerit, adjice his, ut tu dormias, cum fratrem invitaveris : Ut visurus fratrem post longum tempus, nihil sit locutus, præsertim nondum exacta nocte, cum adhuc vigilaret ille miser exul, & fortasse occidere somnus hic potuerit, inter plures tres estis, & omnis sermo in angusto est. Incredibilius hoc faciet ortum inter fratrem tuum parafitumque jurgium : ad latus tuum jacet ille qui clamat, Exul tace. Quomodo fieri potest, ut ne ipsius quidem cædis tumultu excitatus sis? fieri non potest ut gladium pater tuus non viderit? non te excitaverit cum periclitaretur? His omnibus manifestum est, ² hoc tantum quæsitum patrociniū esse, quod parafitum in præsentia dimisisti. Glorieris enim licet, quod non tecum interfectorem fratris habeas, itane hoc tandem satis fuit dimittere impunitum, dimittere in-violatum? Magni affectus jura non spectant. Sed ne dimisisti quidem bona fide. Nam & sustineri absens potest: nec dubito quin exspectetur mors mea. Ut ergo non solum justæ, sed etiam miserabiles causæ abdicationis sint, filium perdidisti eo tempore, quo miser erat: non licuit saltem in patria, non in domo sua, extremum illi spiritum effundere: sed quod est contumeliosissimum, manibus parafiti, & impune occisus est, quem indignum erat impune saltem male audisse.

CCXCVII.

¹ *Universa extra causam sunt.*] Thadæus, *universa extracta subsunt.* Unde acute, quod ad sententiam, doctissimus Ærodius: *universa si existant, suspecta sunt.* Sed levi conjectura juvanda Pithæani codicis lectio: *Multa, quæ singula accidere possunt, universa extra casum sunt.* id est, ut universa congruant &

concurrant in idem tempus, non casus, sed consilii videtur. *Gronovius.*

² *Hoc tantum quæsitum patrociniū esse.*] Lege: *patrociniū.* *Quæsitum* est comparatum, de industria factum. Vide ad superiorum declarationum duodecimam. *Idem.*

E e